DISPUTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS

DE

GENERATIONE.

DISPUTATIO PHYSIOLOGICA INAUGURALIS DE GENERATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS THOMSON,

SCOTUS,

SOCIETATUM REG. PHYS. EDIN., NECNON NAT. STUDIOS. ET CHEM. EDIN. SOCIUS.

Και ευλογησεν αυτους ο Θεος, λεγων, Αυξανεσθε και πληθυνεσθε, και πληρωσατε την γην.——

Γενεσις, Κεφ. α. 28.

Octavo die ante Calen. Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT DAVID WILLISON.

1806.

VIRO OPTIMO,

DANIELI HAMILTON

DE

GILKERSCLEUGH,

ARMIGERO,

PACIS CURATORI,

PRÆFECTURÆ DE LANARK,

VICARIO PRÆFECTO,

&c. &c.

SCIENTIA, URBANITATE, ET INTEGRA FIDE,

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

PERTENUE AMICITIÆ MONUMENTUM,

D. D. DQUE

GULIELMUS THOMSON.

DISPUTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS,

DE

GENERATIONE.

PROŒMIUM.

NATURÆ res dividuntur in eas, quæ organis præditæ sunt, et in eas quæ non; seu, quod idem valet, in animatas et inanimas. Ad hoc genus pertinent aër circumfluus, et res quæ fodiuntur è terrâ. Illo comprehenduntur tam res, quæ et vivunt et vigent, tam eæ, quæ vigent tantùm.

Aër et fossilia inertia sunt; et, nisi alieno motu cieantur, prorsùs quiescunt. Utì nequeunt prolem sibi similem propagare, ita minùs fluxa et caduca sunt; neque apta, quæ annorum longinquitate pereant.

Non eâdem verò lege, quâ ea inanima, creavit Natura animantes, et eas res quæ à terrâ stirpibus aluntur. Quum enim hæc, mortalia et peritura, labentibus annis, senescant et moriantur, organis instruuntur, quibus id agant, ut prolem propagent ipsis similem; quæ, simul ut sit nacta maturitatem, novam vicissim progeniem parturiat, aliam idoneo tempore edituram. Sic miro fœtiferæ naturæ artificio, dum pereunt singulæ res omnes, quæ vivunt et vigent; tamen conservantur non genera modò, verùm species quoque, quas unum generum quodque continet. Opera, quâ, perpetuitatis causâ, unaquæque animalium, earumque rerum quæ terræ stirpibus inhærent, species prolem propagat, et quâ, utì præstabilius nihil, itâ nihil utilius, *GENERATIO* nominatur, et omni ævo naturæ rerum curiosos admiratione affecit.

Animos multùm agitârunt philosophi, ut cognoscerent ipsi, aliisque explicarent, quâ mirabili naturæ arte, per aptissimum organorum artificium, animalia, et eæ res quæ oriuntur è terrâ, suum genus conservent. Nulla dum verò opinionum omnes veritatis numeros habere videtur. Fortassè Generatio inter occulta est, quæ Natura noluit mortalibus retegere. HARVEIO sanè datum est periculis comperire et demonstrare, irrequietum sanguinem circuitum peragere: sed ne HARVEIO quidem permissum est posse scire, quemadmodùm cæco opere generetur proles; quæ dein, suo tempore, prolem similem procreet.

Rem igitur, quæ, pariter atque aliæ multæ quæstiones physicæ, nequaquàm adhuc satìs explicatæ, naturâ perdifficilis et perobscura est, non spero me posse in clariore luce ponere. Sed varias doctissimorum hominum discrepantesque sententias inter se comparare, et quæ maximam veri similitudinem habeat dignoscere, pro virili conabor. In hoc incepto, mihi consilium est potiùs ostendere, quæ cuique sententiæ desint, et quarum etiamnum rerum ignoran-

tiâ vel eruditissimi philosophorum versentur, quàm res jam perceptas et cognitas repetere.

His præmissis, aggrediar animadvertere quibus modis genera non animalium modò, sed earum quoque rerum, quæ terrâ per radices aluntur, se conservent et perpetuent.

PARS I.

DE MODIS, QUIBUS, SUO QUODQUE, SE CONSÈRVENT ANIMALIUM GENERA.

Prolem, perpetuæ conservationis causâ, alio aliud modo, genera animalium gignunt. Natura rerum conservatrix, quâ nihil vel providentius vel solertius, cuique animalium generi membra præbuit, quibus sibi destinata generandi munera absolvat. Nulla verò in re, ejus providentiam et munificentiam magis admiramur, quàm in cura, et miro membrorum artificio, quibus animalium, et terrâ natorum, genera conservet. Tam enim animalibus, quám omnibus quæ terra parit, perpetuitatis causâ, partes corporis, et ad procreandum et concipiendum aptissimas, largita est.

In plantis, cæterisque rebus quæ gignuntur è terrâ, partes, ad perpetuam generis conservationem dicatæ, fluxæ sunt et caducæ, et, abso-

luto munere, pereunt. In animalibus verò, per vitam, durant, nec intereunt nisi unà cum cætero corpore. Neque enimvero alia animalibus ulla intercedit differentia cum iis, quæ à terrâ per stirpes aluntur, quâ certiùs distinguantur.

Quorundam animalium partes corporis, quibus genus conservatur, tam eæ ad procreandum aptæ, quàm eæ ad concipiendum, in uno generis quoque existunt. At verò hominum bestiarumque Natura alios mares, alias fœminas, machinata est; et marem et fœminam, quò generi conservando operam darent, miris commiscendorum corporum libidinibus accendit.

Sed viliora animalia haud pauca ambiguo sunt sexu; quippe quorum unumquodque propria tam maribus, quàm fœminis, genitalia possideat; ideoque possit cælibatu, pariter atque concubitu, procreare, concipere, prolemque parere. Convolvulus, etiamsi, vitreo carcere custoditus, non habeat, quam concupiscat fœminam, quacum concubat, multiplices tamen fœtus procreat et fundit. Vermium quoque plu-

rimi semimares sunt, utriusque sexûs genitalibus instructi *.

Plantarum quoque plurimæ sunt androgyni; quippe, in singulis quarum floribus, sint partes, tam fœtificæ, quàm fœtiferæ. At verò plantæ, quamvis harum partium admissurâ procreare queant, aliâ etiam ratione possunt se perpetuare. Nonnullæ enim ex radicibus gemmas edunt; quæ, idoneum nactæ locum, se in parentis speciem explicant. Aliæ et ex stemmatibus parturiunt germina; ex quibus, modò res faveant, novæ plantæ nascuntur, parentibus similes.

Nonnulla quoque animalia, velut polypodes, duplice possunt modo sese in novam prolem multiplicare †. Sed, cùm philosophi nondùm

---

* Vid. BONNET. *Sur les Corps Organisés.*
SPALLANZAN. *Dissert. de Animal. et Vegetab.*

† Vid. SPALLANZAN. *Dissert. de Animal. et Vegetab.*
TREMBLEI. *Hist. des Polypes.*
BONNET. *Sur les Corps Organisés.*

satìs exploratum habeant, quo hæc animalia modo suos sponte fœtus procreent, nobis consilium est de eorum tantùm animalium generatione dicere, quorum alii mares sunt, aliæ fœminæ, quæque sine sexuum coitione procreare nequeunt; et præsertìm de eâ humani generis.

Ad ea comprobanda, quæ de hominum generis procreatione dicturi sumus, necesse erit argumenta ducamus ex similitudine earum rerum, quas observârunt studiosi, periculove comperêrunt, in vilioribus animalibus.

Antè verò, quàm conabimur, quo prolem modo progeneret humanum genus exponere, opus erit pauca generalitèr præfari de animalibus iis, quorum ad generationem marium atque fœminarum coitus necessarius est.

PARS II.

GENERALIA QUÆDAM DE IIS ANIMALIBUS, QUORUM AD GENERATIONEM MARIUM AC FOEMINARUM COITUS NECESSARIUS EST.

ANIMALIUM, quorum alii mares, aliæ fœminæ sunt, ex modo quo pullos edunt, in duo genera dividuntur. Nonnulla enim suo in corpore pullos continent, et alunt; deinque, ubì in parentum effigiem se explicaverint, vivos pariunt. Alia crudos, et ovis munitos, nondùm in parentum simulacra configuratos, excludunt. Illiusmodi animalia *VIVIPARA*, hujusmodi *OVIPARA* nominantur.

Nonnulla tamen animalia sunt, quæ vivipara uno anni tempore observantur, alio ovipara. Æstate enim vivos parit convolvulus, ova hieme *.

---

* Vid. BONNET. *Sur les Corps Organisés.*

Hominum genus, itemque bestiarum, et piscium qui mammis instruuntur, viviparum est. Ova autem enituntur aves; itemque plerique squamigerorum serpentium et piscium. Ex serpentibus tamen excipias salamandras, et viperas; quæ ova intùs fovent, neque, nisi cum vivis pullis, excludunt *.

In hominum, quadrupedum, et avium generibus, progeneratio intra corpus fit †. Hunc in finem, masculus non solùm organis instruitur, quæ proprio ex sanguine semen, seu fœtificum humorem, secernant; sed etiam iis, quæ secretum immittant in fœminæ locos.

In piscibus contrà squamiferis, et amphibiorum plerisque, procreatio extra corpus fit. Horum itaque animalium fœminis desunt loci; et maribus membrum, quod genitalem humorem in locos injiciat. Mares, idoneo fœcundandi

---

* Vid. BONNET. *Sur les Corps Organisés : et Mémoir. de l'Acad. des Sciences, pour l'an* 1727.

† Vid. BUFFON. *Hist. Nat.*

tempore, id tantùm agunt, ut ad fœminas accedant, easve superveniant, et delapsis tunc harum ovis, fœtificum propriis ex lactibus humorem superspergant. Domesticas tamen excipias gallinas; quarum intra corpus ova fœcundant galli, etiamsi his desit penis, quo intruso genitalem humorem injiciant.

Neque verò alma Natura magis fuit procreandi occasionum provida, quàm prodiga rerum, quæ ad opus necessariæ sunt. Eâ enim alliciente, omnia animalia, præter hominum genus, eo anni tempore concupiscunt, libidine flagrant, et ad res venereas congrediuntur; ut fœminæ, prægnatione finitâ, tùm pariant, cùm abundent omnia, quæ conducunt ad teneræ prolis salutem et incrementum.

Bestiarum tamen, quas condocefacimus, quorumque labore et fœcunditate ad utilitatem nostram abutimur, dum feritas mollitur, appetitus depravantur. Quippe oves, in hâc insulâ, quæ montibus errant, et humi pabulo pascuntur, utì semel tantùm quotannis progenerant, sic haud plus semel agnos enituntur. Quæ verò cultu

hominum et curatione pinguibus pascuis aluntur, et hieme, tectis septæ, tutantur à frigoribus; eæ bis quotannis procreant, bis parturiunt. Fiunt simul fœcundiores, et unoquoque ferè partu gemellos excludunt. Ovis, haud ignota loquor, lætis pascuis assueta, uno et viginti mensibus, quindecim agnorum mater erat. Primo partu quatuor agnos edidit, secundo tres. Tertiâ graviditate ferè jam expletâ, morsu canis occisa est; ejusque ex utero exempti sunt octo fœtus ferè maturi, et omnia jam membra absoluti *.

Neque à Naturâ, utilitatum providâ, minor adhibita est cura pullorum numerum ordinandi, quàm ut idoneo tempore parerentur. Immanes et feræ belluæ, quæ, si fœcundæ essent, numero magnum nobis periculum afferrent, rariùs concipiunt, diutiùs utero gerunt, neque uno partu unum plus fœtum edunt. Bestiæ verò cicures et mansuefactæ, non solùm eæ, quarum carnibus vescimur, quarumve villis confectis atque contextis vestimur, sed etiam eæ, quarum incre-

* Vid. *Dumfries Weekly Journal for the year* 1803.

dibili fide utimur et sagacitate, multo magis prolificæ sunt. Sues, cùm nihil habeant, quod homines suggerant, præter escam; et canes, quibus nihil in custodiendo fidelius, nihil dominorum amantius adulantiusque, nihil odii in externos pertinacius, nihil ad investigandum sagacius, nihil in venando alacrius, utì hominum gratiâ generari videntur, ità crebriùs concipiunt, breviùs uterum gerunt, et multiplices unoquoque partu fœtus procreant.

Utì Naturæ providentiâ alia animalia magis fœtifera sunt, alia minùs: ità alia pubescunt maturiùs, alia seriùs, alia breviùs utero gerunt, alia diutiùs. Quæ uno partu plures fœtus excludunt, sicut piscium plurimi, ea aliquantò antè procreant, quàm adoleverint. Quæ verò minùs fœcunda sunt, ea non prolem generant, donec ad adultam ferè jam pervenerint ætatem *. Liberis videlicet raró operam dat hominum genus, dum ferè tam corporis magnitudinem, quàm formæ dignitatem attigerit.

* Vid. BUFFON. *Hist. Nat.* tom. II.

At verò, non omni pariter cœlo, homines eodem ætatis anno pubescunt, et, viribus freti, concupiscunt voluptates, quibus liberos procreent. Calido cœlo maturiùs puberes fiunt adolescuntque, et ad res pollent venereas; frigido seriùs. LAPONIENSES, non ante duodevigesimum annum, ad veneris militiam validi sunt *: qui verò, intra solstitiales metas, incolunt, ii vel duodecimo anno, non sine gloriâ, militant. In BRITANNICIS insulis, homines pubescunt, inter decimum quartum ætatis annum et decimum sextum.

Ubiquè orbis terrarum, puellæ maturiùs pubescunt, quàm pueri †; et pueri et puellæ, qui lautè et luxuriosè vivunt, quàm qui labore famem tolerant.

Accedente pubertate, tam mares humani generis, quàm fœminæ, miram mutationem subeunt. Marium genitalia, testes nempè, *vesicu-*

---

* Vid. LINN. *Flor. Lappon.*

† Vid. BUFFON. *Hist. Nat.* tom. II.

læ seminales, *glandula prostata*, et coles, idoneam nanciscuntur magnitudinem, fiuntque ad generandum valida. Venit tùm pubes: genitalis humor secernitur: adolescens fervidus, irrequietus, adolescentulam videt protervam, visamque perit; si qua latent gaudia, meliora putat: caram in somniis imaginem complectitur; et ad muliebria arva conserenda incitatur. Pullulat intereà barba: membra molem nanciscuntur: vox irraucescit; sed aliquanto pòst tempore gravis fit, et maturum sonat hominem.

Dum adolescentuli militarem ætatem attingunt, et prima in Cupidinis castris stipendia facere ardent; adolescentes virgines montem, Veneri dicatum, pube silvescentem mirantur, et, quoties se in speculo vident, nitentes oculos, et sororiantes mammas læti contemplantur. Ignota hactenùs desideria persentiscunt; atque inexpertis, et nunc primùm cupitis, optant frui voluptatibus. Quò adolescentulis sint expetendæ et amabiles, student artubus se fingere; doceri gaudent certos ad numeros pedes movere; summâque curâ id agunt, ut sint vestitu decoræ, et aptâ membrorum compositione inter se

omnes partes cum quodam lepore consentiant. Fœcunditatis tandem prima fundunt munuscula; atque, se viris tempestivas persentientes, crepundia abjiciunt, et pupas dicant Veneri. Aptè Poëta:

" *Now from the virgin's cheek a fresher bloom*
" *Shoots, less and less, the live carnation round;*
" *Her lips blush deeper sweets; she breathes of youth;*
" *The shining moisture swells into her eyes,*
" *In brighter flow; her wishing bosom heaves,*
" *With palpitations wild; kind tumults seize*
" *Her veins, and all her yielding soul is love.*

Thomson.

Quanquam, appropinquante pubertate, fœminæ cæterorum animalium subitationes subeunt; earum tamen nullæ, quòd scimus, menses profundunt. At verò nonnullæ, sues nempè, vaccæ, et canes, quo tempore pruriunt in venerem, ex loco per naturam exstillant tenacem humorem, graveolens cujus odor marium nares feriat, ipsorumque incendat libidinem. Hujus enimvero humoris tam libidinosa vis est, ut, per eam, ut cognovi, mares intervallo ter millies passuum ad salaces fœminas allici possint.

Quibus ex causis proveniant menses; quamobrèm solæ humani generis fœminæ profundant; et ad quid utiles sint; medici nondùm satìs intelligunt. Dubitare verò non possumus, quin sint aliquo modo ad generandum utiles. Fœminarum enim, quæ prosperâ valetudine fruuntur, perpaucæ sunt, quæ constitutis naturâ temporibus menses non fundunt, pauciores adhuc non menstrualium fœcundæ. Atqui raræ quædam puellæ, mensibus nondùm profusis, præmaturo concubitu comprehenderunt; quibus tamen posteà, graviditatis et lactatûs intervallis, menses statutis temporibus abundabant et subsidebant. LAPPONICARUM, ut à LINNÆO accepimus, nonnullæ non menstruales sunt; sed eædem, viris conjunctæ, steriles *.

Quemadmodùm humani generis mares et fœminæ congrediantur, exponere nec decet, nec opus est. Sanguine in genitalia irruente, et flagrante libidine, luminibus et consciis remotis

---

* Vid. LINN. *Flor. Lappon.*

dedunt se lascivis amoribus, et gaudia Veneris carpunt. Sed

" Claude forem thalami: quid rude prodis opus?
" Multa —— nescire decet: pars maxima rerum
" Offendat, si non interiora tegas."

OVID.

Omnium ferè animalium fœminæ, utì minùs concupiscunt, quàm mares, ità non tam effrenâ in venerem libidine instimulantur.

Inter congressum, mas genitalem humorem, quem secreverunt testes, in fœminæ locos injicit. Qui quâ hìc ratione tam mira efficiat, varias in partes à medicis disputatur. Omnes verò opiniones, quas protulerunt, proponere, utì opus difficile esset, ità parùm utile; cùm præsertìm nonnullæ earum conjecturales sint, et ad delectationem credulorum, gaudentium miris, aptiores, quàm ad fidem philosophorum, verum, aut similia veri, indagantium. Nobis itaque consilium est præcipuas tantùm memorare et excutere, quæ philosophis ex ingenio claris placuerint; et ponderare argumenta, quibus conati sint defendere.

PARS III.

DE CONCEPTU.

Fieri non potest, quin fœtus crescat ex primordiis, quæ suppeditent alterutrique parentes. Hoc concesso, nonnulli contendunt, rudimenta, quibus fœtus oriatur, à fœminâ præberi: aliis videtur à mare suggeri: et sunt, qui verisimilius opinantur, utrosque primordia quædam contribuere, ex quibus nascatur futurum animal.

Nostrâ ætate, nulli, quantùm scimus, credunt, esse animalia, nisi quæ parentibus progenerentur. Viva, quæ veteres philosophi putârunt ex fermentescentibus putrescentibusve oriri, nunc cognoscuntur nasci ex ovis, quæ ibì, ut idoneo in loco, parens deposuerit. Instructi organis atomi, quos, modò idoneum nacti sint locum, in animalia vivescere putat Buffonius, omninò conjecturales sunt, et fide majores.

Harum opinionum ultima HIPPOCRATI placuit: qui existimabat, ex commistis in utero maris et fœminæ seminibus conceptum fieri; et, proùt masculinum semen abundaverit fœmineumve, fœtus in patris matrisve similitudinem formari *.

Hanc opinionem, quæ enimvero haud minùs similis veri est, quàm nonnullæ, quæ hodie invalent, omnes ferè medici, tam vetusti, quàm recentiores, ante HARVEIUM, acceperunt.

Hic verò medicus, Naturæ rerum studiosorum clarus ante alios, exploratis post coitum diversi generis fœminarum uteris, nulloque in his invento semine, eorumque conglutinato simul ore, ullum omninò eos masculinum semen intrare negavit. Inductus insupèr est, ut hoc concluderet, quòd gallinæ diù pòst, quàm sint gallis viduatæ, fœcunda tamen ova pariunt.

His observatis, opinatus est, semen masculi-

---

* Vid. HIPP. *De Genitura*.

num, quasi contagione efficere, ut concipiat uterus, similitèr atque magnetis contagione ferrum fit ferri trahax, et terrarum orbis polorum index. Hæc contagio, ut assumit HARVEIUS, fœcundat non uterum tantummodò, verùm totum corpus. Verùm uterus tamen solus fœtûs primordia comprehendit et format, ut cerebrum solum concipit et machinatur notiones: namque, utì notiones, in animo comprehensæ, sunt quasi simulacra rerum, quas sensus nunciant et interpretantur; itâ fœtus, utero conceptus, est quasi imago parentum *.

Hic verò auctor, cujus sententiam fusiùs explicare nobis non vacat, ex ovis oriri omnia existimabat; et primus proposuit opinionem, quam plurimi post eum naturæ rerum studiosi acceperunt, et quam, correctione quâdam adhibitâ, haud pauci, doctrinâ clari in primis, vel nostrâ ætate defendunt.

* Vid. HARVEI, *Exercitat. Anatom. De Generatione.*

CAP. I.

De Evolutione.

STENO, GRAFIUS *, SUAMMERDAMUS †, MALPIGIUS ‡, aliique naturæ rerum studiosi, cum HARVEIO consentientes omnia animalia ex ovis nasci, existimant, exiguas in vivipararum fœminarum testibus vesiculas ova esse, quæ totidem fœtus contineant; et eas pòst in uterum descendere, quàm vivas fecerit aura, iis ex maris semine afflata.

Philosophi illi præclari, quippe cùm animo comprehendere nequeant, quemadmodùm ex rudi materiâ instructum organis animal possit ortum inchoare, putant fœtum in fœminæ teste

* Vid. GRAF. *De Organis generationi inservientibus.*

† Vid. SUAMMERDAM. *Bibliam Naturæ.*

‡ Vid. MALPIG. *Oper.*

latere, neque priùs ibi vivescere, quàm divina quædam vis excitaverit.

Hanc opinionem, quamvis vero absimilis sit, et fide major, acceperunt tamen celeberrimi quidam nostrâ ætate philosophi: inprimis HALLERUS, qui, pulli intestinum continuari vitelli involucro, hocque in ovo antè esse, quam id fœcundet gallus, compertus, concludit, pullum quoque ipsum in ovo, ante galli superinjectum, existere. "Denique," inquit, "directa de-"monstratio adest; quâ ostendas, certè in avi-"bus, pullum in matre fuisse. Pulli enim in-"testinum continuatur cum vitelli involucro, et "adeò intestini interior membrana cum epider-"mide animali, exterior cum cute, denique "cum involucro vitelli eadem est *."

Conjectat hic auctor egregius, glutinosiorem seminis partem, quam solam fœcundandi potentem existimat, usquè ad gallinæ *ovaria* penetrare; ubì quiescens hactenus germinis cor in vi-

---

* Vid. HALLER. *De formatione pulli.*

tales motus cieat, et germen vertat in animalculum.

Hanc opinionem accipiunt, et dilatant SPALLANZANIUS et BONNETUS, clari sanè auctores, et indefessi in primis naturæ rerum, studiosique indagatores. Hic si vera loquitur philosophus, qui germinum historiam altiùs repetivit, nos, et omnes ADAMO orti et orituri, in EVÆ, matrum fœcundissimæ, testibus latuimus, ultrà fidem sanè perpusilli, at formâ et membris homunculi tamen; neque deerat quicquam, ut mollia ossa et viscera in figuras proprias concrescerent, et divinam nos acciperent particulam, majoraque inchoaremus, quàm pater, qui seminis afflatu nos ex inerte quiete excitaret.

Sed, cùm unus hominum pater innumerabilis prolis nemo esse posset, per immensam, at connexam tamen, ataviarum, abaviarum, proaviarum, aviarumque seriem, merus numerus descendimus: et, per multa diutiùs secula, nulli latuissemus, absque venereo patris matrisque

fuisset jactu; qui fecit, quod faustum felixque sit, ut, GEORGIO Tertio regnante, ex longâ inertique quiete excitati, in lucem ederemur, rerum publicarum eversiones, nascentemque novum seculorum ordinem visuri.

Qui contra hanc opinionem ideò dicunt, quòd inexputabilia futurorum animalium primordia, per immensam fœminarum seriem transmissa, nemo hominum quisquam mente, concipere possit, iis respondent ejus defendendæ principes, cum mortalibus non detur, omnia animo et cogitatione comprehendere, rem non ideo falsam esse, quia sit incomprehensibilis, nec, quia comprehensibilis, ideo veram; neque ulli, eò quòd ignoret, fas esse negare, omnia cujusque generis animalia, tam quæ fuerint, quàm quæ futura, creata simul esse, et, sicut commosin, ut ità dicam, in primâ matre inclusa.

Suam porrò opinionem quò confirment, memorant, interdùm, nullis conjugiis, puellulas ex prægerminante primordio fœtare. Hujusmodi duas memorat HALLERUS; quarum una, ut OTO auctor est, octo dies nata, infantulam,

digiti instar, peperit *. Alterius, post mortem patefactæ, in mesenterii tumore sunt ossa, dentes, et pili inventi †. Hinc satìs esse censet Hallerus, quarè germina futurorum hominum in fœminis antè existere credamus.

Hæc opinio veri quàm absimilis sit, nemo hominum unus est, qui mente agitavit, quin primo intuitu percipere possit. Quippe assumit, materiam posse sine fine dividi; sicque, ut verè dicit Buffonius, inter ea est, quæ investigando cognoscere non possumus ‡. Ve-

---

* Vid. D. C. S. Aug. Oton. Epist. *De fœtu in fœtu.* edit. Weissenfel. anno MDCCXL. formâ octuplice. Vid. etiam Blumenbac. *Physiolog.*

† Nupèr, ut Dupuitreno accipimus, pueri, quatuordecim annos nati, inventus in abdomine fœtus est *. Num gemelli fuerant embryones, quorum unus fortuitâ aliquâ causâ penetraverat in alterius abdomen; ex quo, per vasa, tanquàm radices, in *mesocolon* acta, alimentum suppilaverat?

* Vid. Dupuitren. *Bulletin de l'Ecole de Medicine de Paris.*

‡ Vid. Buffon. *Hist. Nat.*

rum si esset, omnia corpora, organis prædita, divinâ quâdam potentiâ unà creata esse, et aliud alio inclusum; homo, ut æstimat hic clarissimus auctor, pro germine sextæ hominum ætatis, major esset, quàm universi mundi sphæra, pro atomorum exiguissimo, quem ministris vitreis oculis percipere possemus.

Quinetiam hi auctores, dummodò ex assumptionibus ritè concludant, non possunt, quin concedant necessariò consequi, ut germina masculina disjuncta sint, nec, aliud alio, involuta; dum fœminina contineant millia utriûsque sexûs, aliud alio involuta: et ut, fœmineo germine præmoriente, unà cum eo præmoriantur omnia germina inclusa.

Porrò, si utì putant, præformato in teste mulieris fœtui, nihil deest, ut vivescat, quàm masculini seminis afflatus, qui cor in motus excitet; undè, quæso, fit, ut in patris imaginem configuretur, atque hinni aliique bigeneres sint utrorumque parentum formarum participes?

HALLERUS, quò hoc anteoccupet, quod op-

poni putat, contendit semen asininum, utì acriùs stimulat, quàm equinum, ità ea, præ cæteris, ciere vasa, quæ in fœtûs auriculas, et summas fauces, distribuantur, ideoque hinnos esse raucisonos et auritos *.

Sed, hâc opinione, vel opinatione potiùs, concessâ, undè asinino semine embryo caudis parte mancus fit, atque tenuibus tam clunibus et uropygio; et undè accidit, ut hinni faucium conformatione et voce asininum rudant patrem, et non matrem hinniant equinam?

Hoc objectum quò superet, BONNETUS censet, masculinum semen non solùm in motus cor ciere, sed etiam primum vivescenti fœtui esse pabulum. Quinetiam superdicit, quemadmodùm maris semen absorptum, et in embryonum mentum et frontem imprimìs diffusum, facit, ut homines barbâ ornentur, bovesque ac aliæ quædam bestiæ cornibus; sic asininum semen, absorptum et ad embryonis equini fauces et auri-

---

* Vid. HALLER. *Physiolog.*

culas delatum, efficere, ut hinnus tam insignis asininis auribus sit, quàm voce rudat asininâ *.

Quod assumit BONNETUS de barbâ hominum ex masculino semine natâ, eo nihil dici potest absurdius. Quid? ut non omnes humanæ fœminæ imberbes sunt, sic non omnes mares, vel testiculos sani, barbigeri. Quid enim dicam de impuberibus; qui, instante pubertate, etiamnum sunt imberbes, at potentes tamen Veneris milites? Quid de senibus exsuccis et elumbibus; qui, post honestam à militiâ missionem, et castrorum desuetudinem, barba sunt, et prætereà nihil? Numne capras vidit unquàm BONNETUS? An putat, barbigeras istas olentium maritorum uxores habere corporis partes, quibus semen secernant? Sed de barbis et BONNETO quis vellet, nisi ipse imberbis, plura dicere?

Neque mehercule verius est, quod effutivit de cornibus. Assumptione enim concessâ, sequentia non possunt non esse vera. Nullæ

* Vid. BONNET. *Sur le Corps Organisés.*

bestiæ, nisi quæ semen secernunt, corrigeræ sunt: nullæ autem vaccæ semen secernunt: ergo nullæ vaccæ cornigeræ. Item hoc quibus bestiis nulla cornua sunt, eædem nullum semen secernunt: tauri autem sunt, quibus nulla cornua: ergo tauri sunt, qui semen non secernunt; vel, quod idem valet, tauri sunt, qui non tauri. Hoc etiam, quæ bestiæ cornua gerunt, eædem fœtificum humorem secernunt: sunt autem vaccæ, quæ cornua gerunt: ergo sunt vaccæ, quæ humorem secernunt fœtificum; vel, quod eandem vim habet, sunt vaccæ, quæ non vaccæ. Concessis iis, quæ assumpsit BONNETUS, hæc consequentia necessaria sunt. Quâ itaque solertiâ argumentationem cornuare poterit, ut ipse cornutum tutus fugiat syllogismum?

Patris semen primum vivescenti fœtui alimentum præbere, ut asserit BONNETUS, vero absimillimum opinamur, quòd particula vel minima ad fœcundandum valet. Octodecim aquæ unciarum, quibuscum commixta tria seminis grana sunt, una particula quæque, ut comperit SPALLANZANIUS, fœtifica est. Imò unum

vel minutissimum hujus misturæ globulum compertus est facere, ut ranæ ovum in ranunculum vivesceret *. His cognitis, nihil videtur, quamobrèm credamus, semen masculinum, quantulum requiratur ad fœcundandum, posse primum fœtui præbere alimentum.

Reliquâ spe omni amissâ, hujus opinionis auctores, ut unicum perfugium, quò se conferant, argumentum adducunt ex ovis, quæ, vel ante admissuram, in oviparis bestiis existunt. Verùm vel hoc concesso, non est tamen, quòd fœtum tùm in ovis formari efficiamus.

Malpigius et Spallanzanius confitentur, se nunquàm tunc in ovis quicquam fœtûs simile percipere potuisse. Horum philosophorum posterior, percepto nullo, ova masculino semine tacta inter et intacta, discrimine, cum Hallero concludit, massam informem in ovis esse embryonem, at minorem, quàm ut percipi possit.

---

* Vid. Spallanzan. *Dissertat. on Anim. et Vegetab.*

Sed neque SPALLANZANI assensione, neque quia, ut primus observavit HALLERUS, involucrum vitelli continuatur pulli intestinis, licet cogere, in ovis, ante galli admissuram, latere embryonem.

Ut in viviparis, tener embryo matris utero adhæret, et hinc suum derivat alimentum, quidni pulli itidem vasa ovi involucro se applicent? Dei potentiæ limites ponere philosophos non decet. Omnipotenti æquè facile est, per legatas causas, embryones deinceps creare, ac fuisset initio, sine his, omnes simul unâque facere, et, alium alio, involutos conservare, quò unus idoneo tempore quisque evolutus vivesceret, seque in parentum similitudinem explicaret.

Igitur æquum est efficere, in oviparis animalibus fœtum non antè existere in ovis; sed tantùm in his inesse aliquid, quocum ad pullum formandum nihil deest, quàm ut masculinum semen se commisceat, et aliquo id modo reddat aptum, quod idoneo loco et causis faventibus vivescat, ac vitales in motus cieatur.

Quàm absurda sit opinio eorum, qui existimant, omnia animalia ex ovis evolvi, satìs superque ostendimus. Proximum est, ut nunc excutiamus opinionem eorum, qui fœtus omnis animalis antè in patris semine existere putant.

CAP. II.

De Animalculis.

Ex vetustis nonnulli, falsâ rerum cognatarum similitudine seducti, existimabant, humorem à maris testibus secretum bestiolis scatere; quæ, quò sese in animalia expandant, nihil requirunt, quàm ut in fœminæ utero condantur, in quo, sicut in terrâ semina, calore vivescant, deinque nutrimentum accipiant.

Inter eos, qui itá existimabant, erat Aristoteles, vir in omni disciplinâ apprimè eruditus, et ante cæteros suæ ætatis clarus. Fœmina, ut illi visum est, menses profundit, et prætereà nihil præbet, quod ad germinationem conducat.

Semen masculinum menstruo sanguini quasi animam, ei astrorum subsimilem, impertit, quæ vivum faciat, et animales in motus excitet. Secundùm hunc philosophum, fœtificus maris humor motûs efficiem est; et, ut rudi marmori formam humani corporis dat sculptor, ità is menstruo sanguini *.

Hæc Aristotelis opinio prorsùs extabuisset, si Leuvenhœcius aliique non in animalium semine animalcula percepissent †; et novam naturæ arcanorum studiosis præbuissent lucem, cujùs ope rem sanè perdifficilem aliquatenùs illustrarent. His enim animalculis perceptis, haud diutius, ut antè, difficile erat cognoscere, undè novi animalis embryo vitam inchoaret. Quippe ad inchoandam futuri hominis vitam tantummodò opus erat, animalculorum unum ut idoneum nancisceretur locum, quo partes explicaret, seque paulatìm vertat in parentum formam et effigiem.

---

* Vid. Aristotel. *De Animalibus.*

† Vid. Leuvenhoec. *Arcana Naturæ.*

Hujus opinionis principum nonnulli non solùm, ut putabant, certò percipiebant animalcula in semine, sed etiam in his videre ipsas humani corporis partes videbantur. Dalenpatius in primis, qui oculeus ante alios suæ ætatis erat, dicit se vidisse animalculorum unum ex involucro erumpere; dein percepisse perpusilli homuli bina brachia, bina crura, simulque pectus et caput *. Sed nulli dum alii, quantùm scimus, tam mira vidisse contigit.

In fœtifico coitu hi auctores existimant, bestiolarum unam pluresve permeare ex fœminæ utero ad ejus testem usquè; suoque huc adventu, ovum penetrare, in quo paratum sibi nanciscantur idoneum alimentum. Verùm, ut primùm in ovo non est, quod diutiùs alat; vasa, tanquàm radices, interiori uteri superficiei infigunt, ut, per ea, à matris sanguine alimentum accipiant, dum usquè eò maturuerint, ut in lucem edantur.

Quòd bestiolam ex utero ad mulieris testem

---

* Vid. Dalenpat. *Oper.*

advenire perdifficile est; idcirco, ut his auctoribus videtur, tantam maris semini bestiolarum vim natura tribuit, quanta difficultatem plùs quàm compensaret. Ex decies centenis animalculorum millibus vix amplius unum, uti concedunt, mulieris testem attingit, sed semen, uno coitu quoque in uterum injectum, plùs decies centenis millibus scatet.

Hujus opinionis fautores, inter quos eminent Leuvenhoecius, Hartzocherus, Boerhavius, Keilius, Cheinius, Geofroius, Polinacius, Lieutaudius, Lancisius, aliique, quò eam confirment, contendunt, ut infantum plures patrem, quàm matrem, referunt, ità ab illo plures gentilitios morbos, velut hæreditatem, accipere.

Nobis haudquaquàm in animo est omnia narrare absurda, ad quæ ducat hæc opinio, neque omnia quæ eam contradicantur. Proximæ opinioni, quam modò refellimus, hoc præcipuè differt; quòd supponit, omnes, cùm qui fuerint, tum qui sint futuri, homines, in primâ non matre, sed patre, antè exstitisse. Iisdem igitur

hæc, quibus illa, contradictionibus obnoxia est. Pumiliones in semine nantes, quibus contingit in optatum portum ex longâ navigatione, et multis rerum discriminibus venire, ter et amplius fortunati sunt; cùm præsertìm nani cæteri cursûs socii, velut nautæ lunæ siderumque defectione, obliqui malignique aditûs errore cæcis vadis omnes, eheu durum, pereunt.

Quid intersit, quærit BUFFONIUS, tot pumilos simul nautas unà proficisci, et eòdem tendere, neque plus tamen uni permitti, ut portum capiat? Prorsùs labefactavit opinionem SPALLANZANIUS, qui compertus est, pygmæas bestiolas in masculorum semine nihil ad fœcundandum conducere, et hoc vel his privatum, nihilo tamen minùs fœtificum. Duorum enim bufonum semen comperit fœtificum, quamvis bestiolis careret; itemque vermium semen, in quo eas necaverant admistum acetum et urina, quove vetustescente ipsæ jam erant existinctæ *.

---

* Vid, SPALLANZAN. Dissert. *de Animal. et Vegetab.* tom. II.

Fœtifica vis, quam inesse bufonum et vermium semini, cui deessent bestiolæ, experimentis comprobavit SPALLANZANIUS, non opinionem modò evertit, quam propugnant ARISTOTELES, aliique auctores suprà memorati; sed eam quoque, quam suggerit BUFFONIUS.

BUFFONIUS existimat, viva in masculorum semine nondùm integras bestiolas esse; sed tantùm nanos organis præditos, ex quibus animalium corpora, et earum item rerum quas edit terra, componantur: similes in fœminis existere: et utrisque in utero commixtis, conceptum fieri. Porrò existimat, hujusmodi nanos ex toto undequaquè corpore in maris ac fœminæ genitalia convenire, ut, inter congressum, in utero commisceantur; et, proùt in misturâ illius hujusve nani supersint, masculum fœtum nasci, aut fœmineum.

Secundùm hunc auctorem, embryo simili modo formatur, atque crystallus. Nani, quos suggerunt genitalia, primùm insitâ quâdam appetentiâ congregantur, fiuntque nucleus, cui cæteri, qui maribus et fœminis communes sunt, sese applicent. Tali hujusmodi, partium congregatione et concretione embryo formatur:

qui, si mas, genitalibus patrem refert; matrem verò, si fœmina: sed cæteris, aut patrem, aut matrem, aut utrosque. Quòd si, ut interdum, plures in utero nani conveniunt, quàm qui ad unum embryonem faciendum requirantur, ii, qui supersunt, similitèr dispôsiti, alium embryonem formant, duosve alios. Reliqui placentam efficiunt, et membranas, quæ embryonem circumplectuntur *.

Ecce opinionem, quam excogitavit, clarus in primis, BUFFONIUS: qui, quamvis incerta, pro certis, habeat, falsa, pro veris; acerrimi tamen ingenii hominem, et altissimâ mente præditum, sese ostendit.

Quoniam satis, ni fallimur, supérque ostendimus, opinionum, quas suprà memoravimus auctores celebres de generatione accepisse, duas, utpote quæ falsis assumptis, solâve conjecturâ nitantur, prorsùs rejiciendos; nunc considerandum est, num tertia quam veritatis similitudinem habeat.

---

* Vid. BUFFON. *Hist. Nat.* tom. II.

CAP. III.

De Epigenesi.

Fœtum formari ex naturis, quas utrique suggerant parentes, fuerunt sanè ex tempore Hippocratis, qui opinati sunt. Vetustorum apud plerosque philosophorum invaluit hæc opinio, contra eam Aristotelis, quæ in scholis medicinæ floruit usquè ad Harveii ætatem. Clari hujus philosophi opiniones, neque multò pòst nova quam detexit et vulgavit Leuvenhœcius, duabus occasionem præbuerunt opinionibus; quas fusè jam agitavimus, quarumque alterutram docti ubiquè Europæ homines, ad nostram ferè ætatem, acceperunt. Cùm verò istæ hodiè opiniones inveterascant, eorum invalescit opinio, qui credunt, tum in animalibus, tum in iis naturis quæ à terrâ per stirpes alantur, novæ prolis embryonem nasci ex primordiis, quæ parentes, mas et fœmina, suppeditent. Hic generandi modus, quem unicum verum

plerique hodiè credunt philosophorum, *EPIGENESIS* appellatur.

Inter hujus opinionis auctores nondùm convenit, quâ in parte mulieris conceptus accidat. Nonnulli opinantur, uterum concipere; alii muliebres testes. Priùs, igitur, quàm de embryonis formatione dicamus, opus erit investigare, quâ in corporis parte formetur.

Qui hanc opinionem accipiunt, ii omnes consentiunt, sine commistis maris et fœminæ seminibus, nullum posse esse conceptum. Sed quæstio inter eos oritur; utrùm admixtio seu confusio, quam omnes concedunt necessariam, in utero fœminæ fiat, an in testibus.

Nonnulli philosophorum HARVEIO assentiuntur, masculinum semen ne uterum quidem intrare; sed ex vaginâ à vasis bibulis absorptum, primùm confundi in sanguinem, dein ex hoc in testibus, generandi causâ separari.

Verum hoc esse contendunt, quòd mulieres conceperunt, quarum in uterum semen ob va-

ginæ pravitatem, morbos, aut aliquem obicem, ingredi non poterat. Nam nonnullæ fœminæ, hymene integro, conceperunt: aliæ, quarum vaginæ adeò duritiis angustæ erant, ut, pariendi tempore, calamum vix caperent anserinum *.

Verùm ego equidem dubito, an, gignendi tempore, parùm fidus iste virginitatis custos strenui Veneris militis irruptionem præpedire possit. Similius veri est, ubì talis obex gravidarum vaginas custodiat, virgineum hymen, venereo congressu laceratum, denuò coaluisse; vel adulterinam in ejus locum et similitudinem membranam esse renatam. Neque verò ex duritiis in gravidarum vaginis parturiendi tempore potest ritè concludi, tantas generandi tempore fuisse, quantæ penis introitum impedirent.

Tanta enimvero penis, libidinantis et in Venerem ruentis, tentigo et rigiditas sunt, ut haud facilè ei obstetur, quò minùs perrumpat oppo-

---

* Aud. Hamilton. Prælect. *de Obstetricio* in *Acad. Edin.*

sitos obices, et sibi viam patefaciat eum in locum, undè in uterum semen ejaculetur.

Etsi certò scire semen in humanæ fœminæ uterum injici non possumus; tamen non est, quarè dubitemus, immitti in eum fœminæ canis. Quippe id egit HUNTERUS, et canes, mas et catuliens fœmina, capita obnupti, loco ad rem constitutam satìs commodo coirent. Dum inchoato adversis avibus operi cohærebant congressi amantes, HUNTERUS, et qui adstabat adjutor, spinalem fœminæ canis medullam ex transverso persecuêre. Mas fœminam esse inter media Veneris gaudia crudelitèr occisam ignarus, infectum pro facultate navabat opus. Ante hoc verò peractum, HUNTERUS, quæ intùs arcana Natura genetrix faceret, cognoscendi occasione lætus, fœminæ abdomine patefacto, mira sanè, et nulli, ante eum, homini visa percepit; masculinum nempe semen, tam in utero, quàm in FALLOPII tubis, et rigidas harum fimbrias apprehensos fœminæ testes arctissimè comprimentes. In animalium, paulò post coitum, in uteris, semen invenerunt MALPIGIUS, FALLOPIUS, et HALLERUS.

His cognitis, æquum videtur ex similitudine concludere, humani etiam generis maris penem exspuere semen in fœminæ uterum. Verùm, vel hoc concesso, nascitur alia quæstio; num, scilicet, semen hìc loci maneat, an hinc, per Fallopii tubas, usquè ad testes perlabatur.

Ad fœminæ testes usquè pervenire semen masculinum, plerique nostrâ ætate, rerum generandi cognoscendarum studiosi, propterea sentiunt, quòd vel in testibus interdum ipsis, et Fallopianis tubis, itemque in *peritonæi* sacco, sunt fœtus inventi. Verùm ii tamen, quibus hæc sententia communis est, nequaquàm inter se conveniunt, quâ viâ fœtificus maris humor ad fœminæ testes perveniat.

Sunt peniti, qui opinentur, inter venereas voluptates fruendas, Fallopianas tubas subito in eas sanguinis illapsu rigidas factas, totam in longitudinem patescere; et ejaculatum intereà cole semen, ex uteri fundo cursum, per has ductas hìnc vias inflexas, ad testes usquè obliquare.

Alii, ut minùs forsàn mutoniati, ità suis minùs viribus freti et superbientes, censent: exsputum mutone semen, aut à bibulis vaginæ, vasis insorberi; dein in circumfluum sanguinem confundi, ut ambitu vasorum, quæ confundunt sanguinem et diffundunt, ovariis illabatur: aut hùc ex utero, per Fallopii tubas, tum astringentes se, tum relaxantes, permanare; vel harum quâdam humores insorbendi promovendique potentiâ, quali tubuli pollent capillares transmitti.

Quanquam inventi nonnunquàm fœtus sunt in fœminarum testibus, tubisque Fallopianis, neminem tamen hinc oportet concludere, maris semen illùc semper pervenire, illìcque formari embryonem. Sunt porrò, quæ talem conclusionem infirment. Namque, qui fœminarum genitalia accuratè cognita habet, is certè credere nequit, marem, quamvis strenuum et potentem, posse semen ad fœminæ testes usquè ejaculari. Neque enimvero, quantùm cognovimus, ulla ex vaginâ proficiscuntur ad testes absorbentia, per quæ masculinum semen illìnc hùc illabi possit.

Quinimo HAITONIUS, indefessus humani corporis rerum investigator, obliteratis cuniculorum fœminarum ante maris admissuram tubis FALLOPIANIS, invênit, coitu *LUTEA* in testibus *CORPORA*, quæ indubio conceptûs, vel saltem necessarii ad concipiendum humoris ruptis testiculorum vesiculis expressi, signa compertus jam erat, paritèr accidisse, ac si sanæ et perviæ tubæ mansissent. Porrò unâ tubarum extransverso sectâ, in teste tamen, ad quem hæc ducebat, paritèr ac in altero, ducta ad quem tuba sana erat, corpora lutea percipiebat *.

Ex his experimentis clarè constat, quamvis in fœtifico coitu nullum maris semen ad muliebres testes perveniat, hìnc tamen necessarium ad conceptum humorem exprimi.

Cùm ità sit, quem in finem, quærat aliquis, masculinum semen ad fœminæ testes usquè transmittitur? Quaproptèr Natura quæ solet res maximas minimo motu efficere et absolvere, du-

* Vid. *Philosoph. Transact. Lond.* for the year MDCCXCVII.

plex Fallopianis tubis munus perfungendum destinat; cùm præsertìm uterus æquè aptus videatur locus, quo ex commixtis seminibus fiat embryo, ac in quo ad partum usquè fœtus nutriatur?

Contra ea, si in utero embryo formetur, undè fit, ut, in Fallopianis tubis, et in *peritonæi* sacco, sunt fœtus inventi? Num hìnc efficiemus, masculini seminis contagionem ad concipiendum non necessariam esse; an, si necessaria, semen ad testes usquè perlapsum.

Etsi harum opinionum primam Haitonii experimenta firmare videntur, possunt tamen, ni fallimur, ad seminum misturam, seu confusionem, accommodari. Namque, quoniam haud insolitum est, quasdam interdùm partes, velut gulam, stomachum, et alvum, alia ac naturali modo agere, fieri potest, ut Fallopianæ tubæ, quæ ex testibus in uterum humori, ad conceptum apto, immittendo destinantur, retrorsis, motibus ex utero masculinum perducant semen ad fœminæ testes. Hoc sanè verisimilius est, quàm masculinum semper semen ad testes per-

venire; aut, sine hujus admixtione, embryonem formari posse.

Veri itaque nobis simillimum videtur, masculinum semen rarissimè longiùs, quàm ad uterum, penetrare: et, ut cibus in ore oscula stimulat colorum, quæ hùc ex glandulis salivam secernentibus pertinent, et sic facit, ut hunc humorem uberiùs secretum eòdem confundant; ità semen masculinum, in uterum immissum, osculo FALLOPII tubarum sic excitare, ut consentientes harum fimbriæ mordicùs quasi testes apprehendant; expressumque ex ruptâ vesiculâ auferant humorem, ex usûs similitudine *MULIEBRE SEMEN* appellatum, qui in uterum deducatur.

Hic verò humor seriùs in uterum pervenit, maturiùsve, pro animalis genere. In cuniculorum fœminarum uterum, ut comperit HAITONIUS, non ante quadraginta octo post concubitum horas invehitur *; in eum humanæ fœmi-

* Vid. *Philosoph. Transact. Lond.* for the year MDCCXCVII.

næ, ut observavit idem auctor, non ante decem undecimve dies.

Argumentis utrobiquè inter se comparatis, mihi inclinat animus, ut credam, maris et fœminæ semina in utero commisceri. Sed, quemadmodùm ex horum mistu concipiat fœmina, me prorsùs ignorare confiteor. Conceptus in eorum forsàn arcanorum numero est, quæ mens humana, licèt res vel reconditissimas investigare audax, et stultitiâ ipsum aliquandò cœlum petens, nunquàm indagare poterit, nunquàm intelligere.

FINIS.